



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis  
Iesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus  
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1589]**

**VD16 B 1603**

XXVI. Testimonium Procli Episcopi Constantinopolitani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)

## CAPVT XXVI.

*Testimonium Procli Episcopi Constantinopolitani*

**R**OCLVS eodem tempore Episcopus erat Constantinopolis, quo Cyrillus Alexandria. Eius eius testimonium breuissimū, & robustissimū in lib. de traditione diuinæ Liturgiæ. Nam posteaquam multa dixerat de mirifico affectu Apostolorū, & aliorum Patrum antiquissimorum, erga Sacramentum Eucharistiæ, & quod semper in mente habebant illa verba: *Hæc est corpus meum*, & longissimas preces, & psalmodias inter cetera mysteria peragebant, ita subiunxit: *Per has preces Spiritus sancti aduentum expectabant, ut eius diuina presentia presens in sacrificio panis, & Vinum aqua permixtum, ipsum illud corpus, & sanguinem Saluatoris nostri Iesu Christi efficiat.* Hæc ille. His enim verbis tam aperte docet iste auctor mutari panem, & vinū in corpus, & sanguinem supernaturali virtute Spiritus sancti, ut nullum hinc locum habeant solutiones aduersariorum de mutatione Sacramentali per additionem solius significationis: ad istam enim mutationem non est opus inuocare presentiam Spiritus sancti.

## CAPVT XXVII.

*Testimonium Theodoret, & Gelasij.*

**T**HEODORETVS æqualis Cyrilli fuit, & eius superuixit, ut patet ex epistola Theodoret ad Iohannem Antiochenum de obitu Cyrilli, quæ legitur in V. Synodo.

Duo loca proferuntur ex Theodoro, tum à Catholicis tum ab hæreticis. PRIOR est in I. Dialogo: *Seruator, inquit, noster nomina commutauit, & corpori quidem id, quod erat Symboli, ac signi nomen imposuit: Symbolo autem quod erat corporis.* Hæc ille, quæ verba pro se accipiunt aduersarij. Sed postea subiungit, reddens causam mutationis nominum: *Volebat enim, inquit, eos, qui sunt mysteriorum participes, attendere naturam eorum, quæ videntur, sed propter nomen permutationem mutationi, quæ fit ex gratia, credere.* Hæc ille, ubi dicit, panem vocatum esse corpus, ut ex nominis mutatione intelligeremus, & crederemus rei mutationem. Non est